



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-262818-p0001-6

DFG



9

1767, 3

57

14

DISSE<sup>TT</sup>TAT<sup>O</sup> ACADEMICA  
DE  
NEXU  
PHILOLOGIAE  
CUM  
PHILOSOPHIA

QVAM  
ADNUENTE AMPLISS. PHILOS. ORDINE  
IN REGIA ACADEMIA GRYPHICA

SUB PRÆSIDIO

VIRI AMPLISSIMI ATQVE CELEBERRIMI

DNI. MAG. PETRI AHLWARDT

LOG. ET METAPH. PROF. REG. ORD. ACAD. SCIENT. MOGUNT. MEMBRO  
ET FACULT. PHILOS. H. T. DECANO.

AD

GRADUM MAGISTERII OBTINENDUM  
IN AUDITORIO MAJORI

D. XII. MAJI A. R. S. MDCCCLXVII.

PUBLICE VENTILANDAM EXHIBET

JOH. ADAMUS TINGSTADIUS

SUDERMANNIA SVECUS.

H. A. M. S.

GRYPHISWALDIE TYPIS A. F. RÖSE.





GENERALINNAN OCH FRIHERRINNAN  
HÖGWÄLBORNA FRUN  
FRU  
ULRICA VON BERCHNER

EDERS NÅDE.

Et ringa arbete fordrar billigt skydd och hägn under  
et Högt Namn, at det med så mycket större an-  
seende och wärdighet, må kunna wisa sig för allmänhe-  
ten. Af samma grund drifstar jag mig ock så, at i diupa-  
ste ödmiukhet tillskrifwa EDERS NÅDE närvärande  
Academiska Snilleprof, samt utaf glansen af EDERS  
NÅDES Högtvördade Namn låna en prydnad, som  
kan

kan erlätta brieten af des eget wärde. Den förtient  
och det anseende af wälgrundat tycke och ynneft för  
bokwett och des idkare, som EDERS NÄDE fogar  
til de öfriga sitt Höga Stånds lysande egenskaper, at  
icke anse et litet pappers offer för något sin Höghet o-  
värdigt, är ock det, som härutinnan gör mig upmun-  
trad.

Men jag anser åfwen väl detta för det endaste ly-  
ckeliga tilfälle, mig kunnat gifwas, at offenteligen å da-  
ga lägga den diupaste wördnad och Högakning, et tak-  
famt hierta kan hyfa emot flerehanda flags undfängen  
oförtient Gunst. Jag är dock icke få förmäten, at jag  
med något mit bemödande skulle söka min dryga skuld  
at afbörda, eller at kunna upräkna alla de prof af ynn-  
est och wälgorande, hwarmed EDERS NÄDE Nådgunstigt  
behagat öfwerhopa mig ey mindre än mine K.  
Föräldrar. EDERS NÄDES höga ädelmod tillåter  
ey heller detta, och min egen oförmögenhet skulle här-  
utinnan åfwen få litet kunna uträätta, som sielfwa bemö-  
dandet är fäslängt. Jag will allena skatta mig lyckelig,  
om mit företagande med wanligt Nådgunstigt wällbe-  
hag finge blifwa uptagit, och tillika anseft för et weder-  
måle af samma min wördnad, min skuld och förbindel-  
se. Deraf finge jag tyda en ny försäkring om fortfa-  
randet af EDERS NÄDES oskatbara Gunst.

Mit

Mit beständiga föremål skall blifwa, at under trogna förböner tillönska EDERS NÅDE alt det, som kan göra EDERS NÅDES återstāende lefnad både lång, rolig och fäll. Och kunde Himmelens Gynnande härutinnan fullkomligen swara emot min önskan, skulle den wisserligen sträcka sig längre, än egen fogelighet kunde tillåta någon at önska sig sief. Jag skall emedlertid räkna mig lyckeligast, at stådse få vara vård at kallas,

HÖGWALBORNA FRU GENERALINNANS  
OCH FRIHERRINNANS

EDERS NÅDES

aldraödmunkaſte Tienare  
JOH. ADAM TINGSTADIUS.

A MONSIEUR  
LE COMTE  
NICOLAS BIELKE,  
GOUVERNEUR DE LA PROVINCE DE SUDERMANNIE,  
COMMANDEUR ET CHEVALIER DE L'ORDRE DE  
LETOILE DE NORD.

MONSIEUR.

Ce n'est pas pour suivre une coutume ancienne, mais  
pour satisfaire à mon devoir et à mon inclination  
parfaite, que j'ai l'honneur de VOUS dedier un pe-  
tit échantillon de mes ouvrages Academiques. VOUS  
aimez les Muses et VOUS favorisez tous ceux, qui les  
cultivent. Pour moi, VOUS m'avez honoré d'une

grace

grâce et d'une bienveillance si grande, que je me rendrois coupable de l'ingratitude la plus condamnable, si je negligeois une occasion si favorable, de VOUS donner des assurances très humbles de mes profonds respects et de ma vive reconnoissance. Mais cela m'est un sujet de confusion et de gloire tout ensemble. Je fais gloire de VOUS pouvoir reverer et de VOUS être redévable, mais en même tems je me sens tout rempli d' admiration et de honte de ne pouvoir dans l'impuissance, ou je me trouve, faire rien pour exprimer mes sentimens respectueux.

Agréez donc cet hommage, et recevez le, je VOUS conjure, d'un oeil gracieux comme un temoignage de la pureté de mon intention et de mon empressement, en me permettant la liberté de VOUS supplier, de me vouloir accorder à l'avenir l'honneur de VOS bonnes graces, que je regarde comme le plus grand bien de ma vie. Je m'estimerai heureux, de n'en être pas indigne par un attachement et un zèle infini, et de pouvoir un jour être en état de VOUS en montrer ma reconnaissance très humble, d'une maniere plus réelle. En attendant, la loi, que VOS merites me prescrivent, me fera toujours la plus douce, d'adresser des prières ardentes à l'être Suprême pour VOTRE conservation, pour celle de la COMTESSE VOTRE chere EPOU-

SE,

SE, et enfin pour la felicité de toute VOTRE ILLUSTRE FAMILLE, afin que VOTRE nom celebre, si aimable à tous les hommes, fleurisse toujours à la joie et à la prosperité de la Patrie, comme le desire, avec une soumission profonde,

MONSEIGNEUR,

VOTRE très humble  
et très obeissant Serviteur

JEAN ADAM TINGSTADIUS.



§. I.

**A**d socialitatem conditus, & sana preceteris animantibus ratione praeeditus, homo, id a creatore quoque opt. Maximo, accepit commodi & facultatis, ut & rationis suae sensa verbis ac sermone exprimere, cum sociisque communicare possit. Quanta itaque sit prestantia linguarum earumque cognitionis, nemini certe, qui ad earundem in communis vita usum vel fabrie attenderit, non perspetuum esse crediderim, adeo ut, si commendanda illa sit, mea jam commendatione haud tamen indigeat. Media nempe hae subministrant, ad notitiam pervenienti ubiorem eorum, quae & Dei gloriam, & hominum promovebunt felicitatem, viamque nobis premonstrant, qua ad interiora, quae rationale animal ornabit, sapientiae penetremus, certissimam; nec sane alia, ad veterem barbariem reducendam, magis compendiosa est via, quam si linguarum studia intereant, uti monuit S. quondam Germaniae Praeceptor, PHIL. MELANCHTHON a). Quare, ut recte & scienter adhibeantur media haece, quam maxime est necessarium. Adeoque minime quidem illi sunt audiendi, qui, ut solius quoddam memoriae opus, studium tractant Philologicum, quique vel

A

in

a) *De usu ac necessitate L. L. S. S. Tom. 3. orat. p. m. 806.*

◎ ◎ ◎

in nuda tantum vocabulorum copia, vel inani quodam verborum aucupio, totum illud quantum constituant; sed & ipsi scient, veram ac genuinam Philologiam, non nisi judicio solido & excuto superstrui, cum seniorique arte conjungi Philosophia, qua quidem non veritatem modo invenire, sed inventam fini quoque nostro convenienter accommodare, docebit, removendis præjudiciis, illis animorum pestibus, & fulcris stultitiae stultorumque, qui ignorantiam suam excusantes potius, quam confitentes, quidquid occurrat, vel contemnunt, vel rejiciunt. Hinc & Philosophiae cognitionem, cognitionisque rectam applicationem merito præsupponere Philologiam, nec ullus negaverit, nisi qui, eodem hoc præjudiciorum contagio affectus, contenderit, meram illam tantummodo esse λογοπαχτιαν, qua non nisi circa apices & voces versatur. Praeclera sunt, qua hanc in rem differit Celeb. JO. AND. FABRICIUS. Ita autem ille b): *Damit man die Philologie, nicht als ein bloßes Gedächtnisswerk treibe, sondern sie dazu anwende, wozu man sie billig anwenden soll, weil sie eine Wissenschaft ist, die zur Gelehrsamkeit gehört und zu den Hauptfachen der Gelehrsamkeit dienen soll, so muss derjenige, der ein guter Philologus seyn will, sonderlich in der Weltweisheit wohl geübt seyn und also Philologie und Weltweisheit immer mit einander verbinden.* Et paulo post c): *Man muss eine Sprache nicht so wohl bloß mit dem Gedächtnisse, als vielmehr mit der Urtheilungskraft erlernen, auch sich vor den Fehlern der Sylbenstecher, Wortkönige und Sprachkünstler, als der Calmeyseray, Pedanterey, Grobheit, Tadel-sucht, Grillenfängerey, dem Eigeninne und dergleichen, dadurch die schönen Wissenschaften in Verfall kommen, hüten, deswegen auch gleich die Erlernung der Sprachen mit dem Christenthume und einer guten Weltweisheit, sonderlich der Moral verbinden.* Quae cum ita sint, *nexum* huncce, quem habet Philologia cum Philosophia amicissimum, Dissertatione qualicunque breviter adornare, operæ pretium duximus. Ceterum propriæ in nobili hocce arguento rite pertractando, infirmitatis memores, benigniore a Te H. L. conatum nostrorum consuram, & in sublevanda inopia nostra fa-

b) In seinem Abriss einer allgemeinen Historie der Gelehrsamkeit Erster Theil p. 71.

c) pag. 85.

favorem ac opem, expetimus, secundum commune illud Hebreorum:

כָּרוּךְ תֹּהֵן לִיעַת כְּחַולְאֵן אֲנוֹם עַצְמָה יְרֻבָּה

§. II.

Quo vero melior nobis ansa detur, nexus huncce percipiendi, in primis illud est faciendum, ut, quam *Philologiae* tribuamus notionem, paucis demonstremus, idque eo potius, quod non omnes easdem illius fibi forment ideas. Sunt enim, si que non pauci, qui, inter *Philologiam* litterasque humaniores accuratius distinguentes, illam vocant eruditionem instrumentalem verbalem, has vero eruditionis instrum. realis nomine insigniunt, atque adeo sensum *Philologiae* intra limites solius restringunt Grammaticales, quæ linguam quandam simpliciter tantummodo legere, scribere ac intelligere docet. Cum his autem, non tanta nobis, de *Philologiae* cum *Philosophia* nexus, est controversia. At nec vero desunt illi, qui *Philologiam*, aut cum critica confundunt, aut sub *Grammatica* totam comprehendunt. Ceterum discant hi in primis, inter grammaticam & *Philologiam* idem intercedere discrimen, ac inter *Φιλόλογον* & *λογόφιλον*, veteribus sic dictos, quod & recte quidem observarunt Romani antiqui, dum *Φιλόλογος* eos appellarunt, qui variae elegantiori eruditioni operam navabant, *λογόφιλος* autem illos dixerunt, qui ipsas solummodo linguarum litteras sectabantur<sup>d)</sup>. Rectius igitur numerum ineunt, qui notionem *Philologiae* latius omnino extendunt, & quidem ad ipsum quoque pulchriorum, uti dicuntur, litterarum studium atque cognitionem, quibus etiam nos, hac in re, eo magis ad stipulamus, quod plurimae quidem, quæ sub humanioribus alias comprehendantur, discipline non nisi ad perficiendam linguarum cognitionem spectent. Complectitur enim ambitu suo *Philologia*, Grammaticam, Rhetoricam, Poeticam, criticam, quin etiam notitiam Historie, antiquitatum, mythologiae & quæ sunt rel. Quare & recte definitur, per scientiam de linguis, & iis, quæ

A 2

ad

<sup>d)</sup> Conf. in primis JO. GEORG. WALCHII proleg. in *Histor. crit. L. L.* p. 2.



ad veram earundem cognitionem atque usum pertinent. Et hocce quidem sensu; considerata Philologia, plurima sane cum Philosophia habet communia, quippe quae illam ad eandem habet relationem; ut Philosophia & rationem in se contineat Philologiae, & certo respectu, ipsa etiam ab illa pendeat, adeo ut nec haec, sine presupposita illa, nec illa sine hac existere facile possit, quam nos harmoniam & commercium suavissimum, unica voce *nexu*, indicatum volumus.

### §. III.

Ut vero paulo clariora fiant haec, quae sphaero praecedente de *nexus* nostro praedicavimus, de *Philosophiae* vocabulo nonnulla quoque addere luet, adeo ut recte quidem intelligent omnes, quamnam potissimum vim ac potestatem eidem tribuimus, corrigendis iis, qui non nisi squalidam, distortam tenebrisque obscuratam illius sibi forment imaginem. Quare ea de re cogitantibus, illud primum nobis occurrit, quum Philosophia id in primis agat, ut distincte de omnibus, perspicue ac solide cogitare doceat, & hunc quoque in finem, animos praeparat poliatque nostros; maximam & evidentissimam omnino in Philosophia, esse necessitatem Philosophie, tam *Theoreticae* & rationalis praesertim, quam subministrant Logica & Metaphysica, quae quidem prima cognoscendi principia, primasque tradit veritates, quae in aliis scientiis, alias deinde producent ac demonstrabunt veritates; quam etiam *Pratica*, quae, si cum Theoretica conjuncta fuerit Philosophia, id profecto efficit, ut finis Philosophiae felicius obtineatur. Quid, quod si ipsum deinde, quem ex aliis quoque scientiis, & quae ad superiores alias facultates referuntur, disciplinis, non minus habet Philologia, ac iisdem ipsa praestat, usum respiciamus, etiam eo respectu, latius hec sumi, fatendum est, vocem Philosophiae, & quidem pro eruditione quavis, ex ratione solide cognita.

### §. IV.

Objectum Philosophiae rationalis sunt cogitationes dirigendae ac ordinandae, Philologiae vero sunt verba. Quale igitur inter haecce objecta, cogitationes scilicet & verba datur com-

◎ ◎ ◎

5

commercium, talis inter disciplinas quoque eorum est **nexus**, videlicet arctissimus. Ut vero harmonie hujus clarius exponatur natura, ad ea primum, quæ ex Philosophia, diversis Philologicè partibus, proficiunt, requirita attendendum est. Qua quidem in re, non adeo tamen morosi sumus Philosophiæ estimatores, ut ab eadem penitus, seu ad omnes suas partes, pendere Philologiam, adseramus; potiores solum & primarias ejus functiones, quæ sine Philosophia administrari non possunt, enumerare sufficiet. Et sic, in eo potissimum quidem versatur Philologia, ut doceat rationem, & mentis cogitata sensaque sermonis recte exponendi, quod docet Grammatica, & ea quidem distincte ac ordine proponendi, ut persuadeantur alii, quod ex Rhetorica hauritur, & sermonem tandem rite examinandi ac dijudicandi, quod critics est officium. Quapropter per singula hecce Philologicæ munera eundo, quid in iisdem rite obeundis pertractandisque valeat Philosophia, breviter ostendimus.

§. V.

Initium ergo a *Grammatica* faciamus. Hæc ea præstat, ut linguam & recte loqui ac scribere, & secundum recta principia explicare & determinare possimus. Partes ejus vulgo itaque duæ maxime constituantur, *Technica* nempe & *Hermeneutica*, quarum si illam primum pensitemus, satis apparebit, quantum ea ex Philosophia habeat præsidii, inprimis quæ ad *Etymologiam* spectant & *Syntaxin*. Docet enim Etymologia, quotuplici ratione diversis rebus, secundum distinctas affectiones, relationes, mutationes, tempus ac locum diversa accommodentur imponanturque nomina, ut accuratius exprimantur ideæ, quas signabunt verba, ideoque & rationes eorum non nisi philosophia cognosci ac explicari possunt. Sic v. g. dantur ideæ rerum, aut per se, aut per alia, substantium, hinc *nomina*, quæ sunt vel *substantiva*, quibus substantia rei significatur, vel *adjectiva*, quæ attributum s. modum ejus permanentem indicant; Dantur ideæ, quas habemus de modis successivis, sive potius de mutationibus rerum actualibus, hinc *verba*, quæ secundum discrimina & varietates, quæ in rebus sunt, mutationum, etiam

A. 3

dif-

differunt; Suntque tandem idea, quas de rebus, sub certis circumstantiis temporis, loci, normæ, viriumque graduum speciebus, nobis formamus, & hinc quidem *adverbia, conjunctiones, præpositiones atque interjectiones* oriuntur. Quod ad conjunctiōnem porro idearum attinet, quam præmonstrat & docet Logica, illi respondet Syntaxis, cuius ita est ordinem ac juncturam instituere verborum, ut cum illa haec conveniat. Plura omnino hac in re adferremus, si limites dissertationis institutique ratio ea paterentur. Non enim heic animus est, perfectum informare grammaticum, sed nonnulla tantummodo indicare, quæ, quem in hanc grammaticæ partem influxum habeat Philosophia, quodammodo ostendere ac comprobare possint. Qui vero de applicatione ejusdem, plura insuper desiderat, adeat Cel. ISR. TH. CANZIUM, in elegantissima de *Rudimentis Grammaticæ universalis* dissertatione, Mr. de TRIGNY dans la *Grammaire générale & raisonnée* etc.

Vivas equidem linguis, sine accurato præceptorum, quæ traditæ Grammatica, usu, & intelligere & expedite quoque loqui facile posse quenvis, etiam si lateamur; in mortuis tamen difficultius hanc calcar viam, nisi rite eadem teneantur, aperte constat. Unde & neminem mente tam esse caſsum, confidimus, ut non facile videat, si ita instituatur studium grammaticum, ut principia grammaticæ secundum rationes suas cognoscantur, solidiorem omnino atque distinctiorem fore eruditio[n]em nostram Philologicam, &c., uti loquitur Ill. 10. AUG. ERNESTI e) evidentera præstantioraque futura esse illa, quæ a Grammatico Philosopho tradantur & exponantur.

### §. VI.

Cum vero *Lexicorum* adminiculis, nec Hermeneutica, nec aliæ quidem Philologicæ partes facile carere possint, quin maximam ex iisdem & lucem, & ordinem, hauriant, quam maxime certe grammatico incubbit, accuratas tradere significationum vocabulorum indices, atque adeo in iisdem e primis suis fontibus ac radicibus eruēndis & derivandis, caute procedere. In orientalibus certe, aliisque accuratioribus linguis, nihil tam est

com-

e) *Dissertationis de Philosophia perfect. Grammat. p. III. p. 3.*

7

commune, quam quæstio quædam paulo accuratior, de vóbulo quoties oboriatur, ad Lexicorum statim confugere oracula. Hinc etiam Lexica, variis quidem accommodata linguis, formarunt innumeri fere, inter quos, ut labores nonnullorum immortales suspicere debemus ac venerari, sic & plurimi scripta tradiderunt, nullo feso commendantia opere; adeo ut optime iis quadrare possint, quæ de Grammaticis quandam questus est  
IO. GEORG. WALCHIUS f). Circumferuntur scilicet Lexica, quæ tam miseram præ se habent faciem, ut nescio, quid autores eorum composuerint: ordo sœpe repugnat rērum naturæ, omniaque aliena ibi cumulata sunt. Quid enim in Lexicis est usitatus, quam notiones sepiuslime vocabulorum, re ipsa radicales, cum derivativis, confundere? quid solemnius, quam ordine maxime inverso, originem vocis ex actuali, ut ita dicamus, potius, quam sensuali repetere significatione? & quid tandem magis est quotidianum, quam ex vocibus actiones, quæ circa rem versantur, significantibus, ipsius rei derivare nomen? Quæ cum ita sint, sensum nostrum, qualiscunque hoc in negotio fuerit, duce Philosophia paucis aperiemus. Verba sunt signa cogitationum nostrarum, quibus in representando signato, accurate respondere debent; cum itaque cogitationes rationem suam habeant in sensatione, ut ut primo cognitionis nostræ principio, omnis etenim actio passionem presupponit, ut ex Logicis demonstratur, sponte sequitur, primas illas esse ideas, quæ in sensus incurruunt nostros, adeoque & vocabulorum, quæ illas exprimunt, sensualem ac passivam significationem, primam esse ac primariam, unde actualis ut secundaria est derivanda, quæ & ideo certior ac indubitate magis redditur, secundum regulam, quam apte quoque observavit Cel. ISR. THEOPH. CANZIUS g), *Omnis idea, quæ continuo ad sensus revocari potest, aphantasmate & erroribus praefatur libera.*

Hinc e. g. & quivis facile intelliget, in Arab. ALIHA obſtupuit,  
potius quam in ALAHA adoratus eſt, notionem latere primariam  
& radicalem, cum ex stupore, qui sensus nostros invadit, faciliter  
excitari possit idea entis s. numinis cuiusdam terribilis, quæ ad idem  
ad.

f) In proleg. l. c. p. 6.

g) Differ. cit. p. 43.

◎ ◎ ◎

adorandum nos determinat. Sic quoque, nec Hebr. **לִפְשָׁסֵר** a **לִפְשָׁסֵר** pescari, ut habet Cel. BUXTORIUS, sed **לִפְשָׁסֵר** potiore utique jure a **לִפְשָׁסֵר** derivandum esse, aperte contendimus, quum nulla omnino dari possit idea pescationis, sine præexistente idea pescis, quæ in sensatione externa fundatur. Namque certissima est Philosopherum regula: *Nihil unquam in actu prius, quam intellectu, nec in intellectu quicquam prius, quam sensu esse potest.*

### §. VII.

Sic ad alterum Grammatices pervenimus munus, ipsam complectens *Exgesin* atque *Hermeneuticam*, quæ est scientia, integræ cuiusdam Scripturæ sensum, bona mentis rationisque sanæ adminiculis, investigandi, investigatumque aliis expendi. Quo quidem in negotio, etiam si generaliores suppeditet Logica regulas, haud tamen omne illud, quod verum determinabit Hermeneuticum, complectitur, memoria easdem mandasse, nisi rationes earum ex Philosophia saniori haurientæ, solide antea & distincte cognoscantur. Quid, quod interpreti nec solus sufficit Lexicorum usus, qui in explicanda propria & communi vocum significatione versatur, nisi ipsas quoque ideas vocibus ab auctore conjunctas explicare sciat; tam cum magna sit diversitas ac dissimilitudo linguarum, adeo ut, si ab una lingua in aliam scriptura quedam esset transferenda, verba sœpe ad eandem indicandam ideam, sibi invicem responderem non possint, quam, quod vocabula etiam inveniantur, unius ejusdemque linguae, quæ non ubique eandem præ se ferant notionem. E. c. si occurrerit apud Christianum quandam auctorem, vocabulum *Deus*, apud classicum vero profanumve, illud *Dii*, num eadem hæc duo ratione & modo essent intelligenda ac interpretanda? aut num voc. *Dii* lat. eundem ac **אֱלֹהִים** Hebr. sensum vel ideo involvit, quod utraque pluralis, sic dicti, sint numeri? vix credo. Is igitur scripturam intelligere consetur, qui legens, eadem ac scriptor cogitat, adeo ut nec ampliores nec arctiores animo obversantes habeat ideas, ac habeat ille scribens. Cum vero multi in legendo, non eandem ac auctor ideam, vel eandem, sed non satis distinctam ac

ad

◎ ◎ ◎

adæquatam, vel etiam nullam prorsus habeant, sit, ut non omnes omnia intelligent scripta, quæ & ideo *obscura* dicuntur. Hinc itaque, ut rite explicentur, claraque omnibus reddantur scripta, maxime interpretis refert, ut obscuritatem & ambiguitatem detegere ac tollere studeat, quæ tam ex ipsis ideis, quam ex verbis & constructionibus verborum oriri videantur. Et hic quidem tanto sane major est necessitas Logices, quanto meliorem ea in re magistrorum & judicem sola se illa præbeat. Etenim docet, non ideas modo simplices a compositis, singulares a particularibus, abstractas a concretis, adæquatas ab inadæquatis, obscuras a claris, ad evitandam, quæ non minus ideis, quam verbis hærente potest, obscuritatem, internoscere; sed quo clariores sint ideae, per verba expressæ, inter terminos quoque fixos & vagos, univocos & æquivocos, vulgares & technicos, proprios & impropios, recte distingueret. Quid, quod obscuritati, quam præbere videntur integræ constructiones, repellendæ, clarissima ex analysi Logica accedat Lux, sola enim hæc coherentiam sermonis, seriem cogitationum, nexumque examinat propositionum; propositiones tam simplices quam compositas, tam complexas quam incomplexas detegit ordinatque; & in singulis situm limitesque subjecti ac prædicati inquirit. Nec in locis denique scripturæ, qui sibi met ipsiis contradicere existimantur, conciliandis, pedem quidem ullum promovere potest interpres, nisi leges prius, quas de vera oppositione tradunt Logici, probe habuerit cognitas, quippe ad quas, secundum varias & subjecti, & modi, & temporis circumstantias, utraque examinanda sunt loca.

### §. VIII.

Hermeneuticæ proxima, quin & affinis est *Rhetorica*, illa videlicet Philologia pars, quæ verba apte disponere, & in sapientem ac perspicuum cogitationum seriem efferre docet, siue id fiat loquendo, sive scribendo. Nimirum hæc ostendit rationem, qua mentis cogitata perspicue, ordine & suaviter sunt exprimenda, adeo ut auditores lectoresve proponenda non modo intelligent, sed de veritate quoque eorundem convincantur. Quamobrem nec eo quidem absolvitur munus Rhetoris, ut

B

ver-



verborum pompa in coelum quasi assurgere studeat, copiamque quandam vocabulorum in se licet vel maxime æquivocorum, impropriorum & inanum in medium proferat, aut etiam nonnulla, quæ voluptatem aliorum afferant animis, inveniat; sed inventa ordinate omnino disponere & exprimere oportet, adeo ut verba & cogitationibus respondeant, & claram earundem exhibeant imaginem. Namque, ut mea faciam verba Cel.  
**10. AUG. ERNESTI h)** tumida fit oratio, quum verbis magnificis h. e. res grandes significantibus utimur in rebus minime grandibus exponendis. Cum vero in perspicuitate summa ponatur virtus oratoris, nec recte quidem ac distincte loqui possit ullus, nisi distincte antea cogitaverit, vana certe atque inanis tota Rhetoris in disponendis verbis, est opera, nisi Logices ita fuerit peritus, ut in ideis, non minus ac in ipsis, quæ eas signabunt, verbis ordinem servare sciat aptum, atque adeo & a nimia in transponendis vocabulis licentia cavere, & a terminis æquivocis, otiosis aliisque, qui non nisi obscuritatem offundunt orationi, abstinerre studeat. Quod, ad præcavendam obscuritatem, quæ ex immundicie vocabulorum & phrasium in se spectatarum, de eorundem delectu est observandum, id ad prudentiam spectat grammaticam, quam & ideo supponit Rhetorica, de ea autem non heic laboramus. Ast in proponendis veritatibus, opus quoque est suavitate, eum in finem, ut delectentur auditores lectoresve, atque exinde, ad sectandum bonum, sensim flecantur & impellantur. Igitur & precepta de ornata verborum tradunt Rethores, quæ tamen non ita sunt explicanda, ac si sola orationis pulcritudo & suavitas ex ipsis proficiuntur verbis; licet enim nec iis sua deest pulcritudo, si nempe sint usitata probataque, nec obsoleta & barbara, suavitas tamen orationis omnem fere, ex pulcritudine concinnaque serie idealium, ortum dicit suum. Delectamur enim non nisi perfectissima rei explicatione, quamobrem & pulchra dicitur idea, quum perfecta, distincta, ac plane ejusmodi est, ut rei quam maxime dilucidam claramque, & optime expressam animo sistat imaginem i). Tametsi multa vocabula nihil ipsa habeant jucunditatis,

b) *Differ. cit. §. XX. p. 28.* i) **10. AUG. ERNESTI** *Diss. c, §. XXIII. p. 31.*

¶ ¶ ¶

II

tis, sit nihilominus, ut ex apta eorum compositione grata quam maxime oriatur oratio, quæ & maximam in animos audiendum vim habet atque efficaciam. Quare, qui ornatus hujusmodi in loquendo ac scribendo indoleat & rationem cognoscit, is certe & majore cum sale majoreque cum fructu, eosdem adhibere, & a nimiis verborum flosculis, iisdemque saepissime affectatis, superfluis ac intempestivis, qui plerumque aut nullas, aut deceptrices tantummodo excitare solent ideas, abstinere facile poterit.

Habet vero Rhetorica plurima cum *Psychologia* quoque communia. Ex hujs enim principiis, cum cognoscantur affectus commotionesque animi, non difficulter apparebit, qua ratione illi sint incitandi sedandive. Atque sic melius quidem adhibentur figuræ, quæ ipsum affectuum modum imitantur, adeo ut res ita vivide represententur, ut auditores s. lectores, ope imaginationis, eas non solum percipiant, sed sensu quoque earundem afficiantur. Sicut rete quidem FRANCISC. BACO DE VERULAMIO: *Rhetorica* ait, *'mūnus est, Phantasia subservire, atque dictamina rationis illi applicare & commendare, ad excitandum appetitum k.'* *Physicæ* autem id acceptum refert Rhetorica, ut ex illa similitudines petere possit, ad illa, quæ extra sensus occurrent, illustranda, eo commodiores, quo ex rebus, sensus nostros externos sufficientibus, saepius defumantur, quæque & ideo Rhetori maxime sunt necessariae, quod ab iis omnis fere venustas ejus pendaat. Unde & egregie b. m. Vir AUGUSTINUS: *Rerum inquit Physicarum ignorantia facit obscuras figuratas locutiones, quum ignoramus vel animantium, vel lapidum, vel herbarum naturas, asiarumque rerum, quæ plerumque in scripturis similitudinis aliquuj gratia ponuntur l)*.

#### §. IX.

Supereft autem, ut de *Critica* sensum nostrum nonnullis indicemus, quæ est habitus regulas, quæ ad linguæ cujusdam spectant perfectionem, rite dijudicandi, emendandi & ad veram applicandi praxin. Referunt hanc alii ad grammaticam, alii fecus, ut distinctam Philologicæ eam tractantes partem.

B 2

Hac

k) *De augm. scient. Lib. VI. c. 3.*

l) *De doctrin. Christ. I. II. c. 16.*



Hac vero de re nullam nos movemus quæstionem, cum a eu-  
jusque arbitrio hoc pendeat, quatenus Grammaticæ amplior  
arctiorve tribuatur vis ac significatio. Inquiremus tantummo-  
do hic, quid in critica administranda valeat Philosophia, in-  
primis rationalis; quemadmodum videlicet scite CRATES apud  
*Sextum* monet: τὸν μὲν περὶ τοῦ οὐρανοῦ οὐρανοῦ οὐρανοῦ  
επιστῆμα εὑπερον ἔναις μ.). Ut a græc. νότιοι judicium, nomen  
suum sortita est critica, ita in judiciis quoque ferendis maxi-  
ma ejus ponitur opera, quotque modis judicium rationis circa  
verba exerceri potest, tot illa habet partes n). Sententiam  
nempe ferre debet, non de verbis solum, sed de eorundem quo-  
que, in propositionibus constituendis, nexus, & ipsis, quæ  
hinc exprimentur, veritatibus, dijudicando utrum veræ sint, an  
falsæ; utrumque distincte explicatae propositæ fint, an secus.  
Quod si prospere procedet judicium, exactum omnino præmit-  
tendum est dijudicandorum examen. Atque adeo primum Cri-  
ticum oportet, secundum ea, quæ de Hermeneutico præced.  
§. 7. statuimus, ipsa verba & propositiones rite internoscere at-  
que distingue; deinde, si occurrent scripta quædam, ma-  
xima licet vocabulorum copia referta, certis tamen rationibus,  
legitimis conclusionibus & ipso quoque ordine destituta, nec in  
eo minor constituitur muneris critici ratio, ut propositiones  
quoque, earumque, unde deducuntur, rationes, secundum  
regulas, tam convenientiæ & disconvenientiæ ipsarum, pariter ac idearum, quam definitionum atque divisionis Logicæ,  
rite scrutetur, conclusionesque secundum regulas ratiocinandi,  
earumque ordinem diligenter exploret. [De examine verbo-  
rum constructionumque grammatico non jam loquimur.] Hinc  
itaque, naturam & constitutionem propositionum ac syllogis-  
morum nosse, maxime est critico necessarium, quod si unum  
ex Logica hauriatur, esset id certe, ad demonstrandam ejus in  
studio critico necessitatem evidentissimam, fatis ac sufficiens  
valde. Inventis erroribus, detectisque, Logica duce, quæ sub  
veri velamine sèpius obteguntur, falsis, critici demum est, cor-

rigere,

m) *Contr. gramm. c. III.*

n) *Conf. Clar. CHRIST. AUG. HEUMAN. parens crit. p. 9 seqq.*

rigere, rejicere judiciumque ferre, qua quidem in re, licet a Philosophia id habeat, ut rationes falsitatis certas ac indubitas teneat proferatque, Logicæ tamen, quoad dispositionem intellectus sui meliorandam, maximum debet. Hæc enim, dum in cognoscendo vero & falso, intellectum præparare ac perficere nititur humanum, plurima & errorum & præjudiciorum tollit obstacula, que studium hocce tam nobile plerumque alias affligere solent.

Cum ad Philologiam recte obeundam, *Historiæ* quoque requirantur subsidia, nec in iis quidem applicandis, contemnenda est Philosophiæ utilitas. Hujus enim ope, non solum quid verum sit, quidve falsum, quid vero simile, quidve dissimile, optime, uti jam dudum monimus, videri potest, sed ex nexus quoque mundi, & quæ in mundo contingunt rerum, probabiliter de ipsa veritate quæcumque in historiis traditarum, rerum, concludere possumus, qui sit, ut non omnibus, quæ nugantur sapientiæ historici, fides facile habetur.

### §. X.

Licet vero, ad explicandas proponendasque, quin & dijudicandas veritates, maximum præsidii contineant præcepta Logica, ut supra demonstravimus, omnis tamen hac in re valde sterilis est nifus, nisi iisdem, aliarum scientiarum, in primis vero ipsarum, de quibus agitur, rerum solida jungatur cognitione. Namque præter disciplinas instrumentales, ut sunt Historia, chronologia, geographia, genealogia etc. quibus minime quidem carere potest Philologus, tanto magis interest, ut disciplinæ etiam reales familiares reddantur & cognitæ, quanto in aucto-ribus librisque, aut explicandis, aut censendis, sapientiæ exhibentur varia variarum scientiarum argumenta. Quemadmodum e. g. in Scriptura Sacra nihil fere efficient vel optimi interpres, nisi qualicunque partim Theologiae, partim Jurisprudentiae, partim Medicinae, rerumque partim Mathematicarum, partim Naturalium gaudeant notitia. Testatur enim experientia quotidiana, ignorantiam barum disciplinarum, & maximam in interpretando obcuritatem, variasque progenuisse syrtes, & inter summos quoque viros plurima excitasse certamina.

B 3

Nec



Nec aliter quidem fieri potest. Quis enim librum aut interpretari, aut examinare & dijudicare potest, quem ipse non intelligit? Quemadmodum in veritatibus proponendis & demonstrandis, nec ullus rationes adducere potest certas & convincentes, nisi easdem ex ipsarum veritatum cognitione hauriendas, ipse prius teneat. Inde vero, quod tanta sit notitia disciplinarum qualiscunque realium hoc in negotio necessitas, non ita tamen mens nostra est accipienda, ac si perfecta earundem cognitio a Philologo jure requiratur. Sub apparatu enim horum mediorum, nimis ab ipso fine distraheretur. Quare id tantum volumus, ut, si disciplinas hasce penitus non calleat, in hisdem saltet non peregrinus sit Philologus, ea fere ratione, qua architectum VITRUVIUS o), perfectum nulliusque artis rudem formavit; his utens verbis: *Non debet nec potest architectus esse Grammaticus, ut fuit aristarchus, sed non a grammatis; nec Musicus ut Aristoxenus, sed non Amusor, nec pictor ut Apelles, sed graphidos non imperitus; nec Plastes ut Myron seu Polycletus, sed rationis Plastice non ignarus; nec denuo medicus ut Hippocrates, sed non aniatrologicos; nec in ceteris doctrinis singulariter excellens, sed in his non imperitus p).*

## S. XI.

Jam, quemadmodum in Philologia bene & feliciter neminem, nisi Philosophia *Theoretica* imbutum, versari posse, demonstratum est, ita nec hæc quidem confistere potest, nisi adjunctam sibi comitem habeat Philosophiam *practicam*, quæ circa pravam voluntatis nostræ ac affectuum dispositionem fanoram versabitur. Ea enim est corruptæ humanæ mentis indoles, ut intellectus lumen obtenebret, ipsique sepius dominetur voluntas. Unde quoque sit, ut libentius desiderent homines, quæ voluntati convenient, quam quæ ut bona et vera, cognovit intellectus. Itaque cum nulla intellectus perfectio, sine bono voluntatis proposito, subsistere possit, emendatum sane intellectum sequi debet emendatio voluntatis, propter arctius illud intellectus & voluntatis vinculum q). Et sic in muneribus quoque

Phi-

o) L. I. c. I. p) Conf. J. A. ERNESTI *Diss. c. §. XV.* p. 19.  
q) Conf. J. G. WALCHII *Diatribæ de litt. Human.* p. 527.

Philologicæ rite fungendis, operam certe omnem perdunt, qui non sedula Philosophia practicæ, in primis moralis cultura se munierint, præparaverint. Ita pro more suo eleganter etiam sentit Laudatus JO. AND. FABRICIUS: *Ein bloßer, inquiens, Sprachkünstler, Redner, Dichter, Geschichtskundiger und Alterthums-kenner, ist noch etwas weniger, als ein gelehrter Handlanger, wenn er nicht zugleich in der Weltweisheit, sonderlich der Sittenlehre stark ist, einen gebeßerten Willen und sich in der Hauptgelehrsamkeit umgesehen hat r).* In interpretandis auctoribus, maximum certe est obscuritas vitium. Nihil igitur in interprete magis est perniciosum, nocentiusque nihil, quam cum obscuritatem ipse ex prava sua preferim animi dispositione adfert. Efficit enim hæc, ut facillima saepe visu, aut ipse non prorsus videat, aut ita videat & explicet, uti propensioni affectuum suorum convenient omnia, atque sic sensum scripturæ, in se licet vel maxime clarum, implicet potius quam explicet. Quamquam nec parum ex Philosophia morali adjumenti in eo percipit interpres, quod, si quid moralitatis in se contineat scriptura, id ad perficiendos aliorum mores conferre sciatur. Verum Rhetorem & ideo Philosophiam Practicam edocendum esse oportere, existimamus, ne in vana affectanda gloria, nimis voluntatibus indulget suis, ista enim ducti multi, ingeniose omnia inventa, magno sub verborum apparatu figurarumque Rhetic. strepitu, proferre student, adeo ut sensum dicendorum jucundum magis quam verum aliis reddant. Ut vero in aliis operationibus, sic & maxime in judiciis ferendis, intellectum vel plane dirigunt, vel saltem impediunt pravi affectus, quemadmodum, si quem odio habeant homines, saepius accidit, ut ejus facta, si vel bona sint, obtrectent, contra vero, si quem diligent, facta ejus, mala licet, laudent. Adeoque, qua de cognoscendis cohibendisque affectibus inculcat Philosophia practica, maxime ea certe critico sunt necessaria, ut, cum in judicando & emendando maxima ejus versatur opera, tranquilla mente, sub excultæ rationis dœtu, dijudicanda examinare ac censere studeat. Namque longe profundius progreditur pacatus ac bene compositus animus,

in

r) l. cit. p. 233.



in introspectiōnēs veritatibus, quam turbulentus & affectuum, irae, invidiae, suspicionis discordia concitatus. Ut sol in tranquilla aqua clarissime conspicitur, qui in undis fluentibus ac commotis nec recte videri, nec vim bene caloris exserere potest s).

### §. XII.

Hactenus, quam sit Philologo Philosophia ne dicam utilis, sed prorsus necessaria, ostendimus, nunc itaque ad alteram nexus nostri devolvimur rationem, vi cuius Philosophia Philologia, omnibus Philosophiae, non modo stricte sic dictæ, partibus, sed generalissime, & ad superiores quoque facultates; si extendatur notio ejus, quibusvis disciplinis ac scientiis afferat utilitatem, luce sane meridiana clarius confat. Quare nemini simus nolumus eam multis declarare. Cognitionem Sapientæ, quoad ejus fieri potest, solidam sibi acquirere, omnibus certe injunctum est hominibus, cum vero hanc non ita saepè, aut vernacula lingua, aut ex informatoribus vivis obtainere possumus, quin & præceptis librorum, diversis scriptorum linguis, indigeamus; maxime necessariam judicamus cognitionem linguarum aliarum, præfertim earum, quibus communicantur veritates, fini nostro proposito inservitæ. Sine hac enim nec recte intelligi, nec cum fructu quidem legi ullus liber potest. Quamobrem & bene omnino monet Illustr. MORHOFF<sup>t)</sup> dum Prima, ait, sunt, quæ disci debent, linguæ scientiarum vehicula. Vere proinde & eleganter Philologia, Nutrix scientiarum, referente DIETERICO, ac Philosophia communiter organica appellatur, quæ quidem non instrumentum solum est eruditionis, sed partem quoque ejusdem constituit, eadem fere ratione, ac manus & pedes simul & instrumenta, & membra sunt corporis humani u).

### §. XIII.

Si speciatim ad Philologiam, seu ad partes ejus attenderimus, talem omnino uniuscujusque earum deprehendimus indelem,

<sup>s)</sup> IO. IAC. RAMBACHII *Institut. Hermen. Sacr.* p. 21. <sup>t)</sup> P. I. II. VIII. 1.  
<sup>u)</sup> Conf. Cel. JOH. AND. FABRICIUM l. cit. p. 79.

dolem, ut adminiculis earundem, in quibusvis Philosophiae  
 disciplinis perdiscendis, excolendis quin & communicandis  
 vix ac ne vix quidem ullus carere possit. Ut enim tota fere  
 Theologia nostra, fideique inprimis fundamenta, ex recta Scri-  
 pturæ Sacra interpretatione eruantur, atque & ideo *Theologo*,  
 non minus Hermeneutica opus est quam Rhetorica, in ipsis  
 præsertim dogmatibus aliis communicandis; sic *JCtis* quoque,  
 quorum leges civiles est penitus intelligere, explicare & appli-  
 care, *Medicis*, & ipsis quidem *Philosophis* maxime necessaria  
 judicatur Philologia specialis, certis admodumata linguis. Ut  
 vero in primis, quem a Philologia, ejusque diversis functioni-  
 bus habet Philosophus stricte sic dictus, usum hec evolvamus,  
 in eo elaborandum nobis est, ut duplici eum ratione considere-  
 mus. Atque adeo id primum hoc in negotio præstat Philolo-  
 gia, ut, in perdiscenda philosophia ex aliorum scriptis, termi-  
 norum Philosophorum præsertim veterum rationem explicit  
 exponatque, & ita quidem lucem affundat scriptis illorum, quæ  
 alias ne optimus sæpe Philosophus ipse intelligit. Occurrunt  
 enim quam plurima, apud Philosophos veteres, loca, quæ &  
 ideo difficilia, ambigua ac obscura dicuntur, quod linguam,  
 qua illi sunt usi, non omnes sibi perspectam cognitamque ha-  
 beant, quemadmodum nec ullus quidem scripta Aristotelis, a-  
 liorumve Gracorum Patrum, perfecte intelligere potest, nisi  
 qui linguam rite calleat græcam. Hunc itaque in finem, gram-  
 matica, quin & Rhetorica & critica ita imbutus esse debet Phi-  
 losophiæ Studiosus, ut omnia, quæ de Etymologia, analogia  
 & anomalia linguae, in eruendis genuinis vocum, phrasium ac  
 idiotismorum significationibus, de dignoscendoque dicendi ca-  
 racterem sunt tenenda, cognita habeat, adeo ut & ea, quæ ad  
 ipsam scriptoris linguam attinent, dijudicare ac emendare quo-  
 que, si ita opus fuerit, queat. Deinde vero, cum Philoso-  
 phum non modo solide ipse ac distincte cogitare, sed clare et  
 iam & dilucide eloqui deceat, ut & alios docere possit, eo quo-  
 que minus Philosophiæ ignarus esse potest, quo certius est, ac-  
 curate hic in disponendis verbis neminem quidem procedere  
 posse, nisi præcepta, quæ tam de Syntaxi, verborumque ordi-  
 ne,



ne, ornatu ac delectu observando, quam de removendis lingua<sup>x</sup>  
fordibus tradit grammatica ac Rhetorica, bene fuerit edocetus.  
**Quibus omnibus** facile convincitur quam vere a Cel. jo. AND.  
FABRICIO w) fuerit prolatum, eos videlicet, qui iustam in  
studio hocco Philologico negligunt operam, mundo aut parum,  
aut nihil profuturos.

#### §. XIV.

Hæc itaque sunt paucissima illa, quæ pro ratione temporis  
& facultatum, de praesenti materia proferre potuimus. Non  
equidem disitemur, multa heic addi posse, inprimis quæ ad  
adducta specialius explicanda uberiorisque illustranda pertineant,  
hec vero alii relinquisimus, qui provectiones forte sunt, qui-  
que in hoc studiorum genere longius adhuc sunt progressi.  
Exercitii loco, generaliora modo nobis attigisse sufficiat.

w) *I. cit. p. 76.*

#### S. D. G.

---

#### ERRATA.

- Pag. 2. lin. 34. pro *consuram* leg. *censuram*.
- 5. lin. 29. pro *Philosophia* leg. *Philosophice*.
- Ibid. lin. 32. pro *parmanentem* leg. *permanentem*.



## CLARISSIME DOMINE CANDIDATE,

AMICE ET POPULARIS EXOPTATISSIME.

Virtutes, quæ Te, Amice Exoptatissime, ornant, tot tantæque sunt,  
ut, licet minimum forsitan earum partem rite pernoscerre didic-  
runt populares, omnium tamen animos ad venerationem non minus  
quam amorem Tui tenerrimum facilis negotio excitaveris. Ne igitur  
mireris, Amice Exoptatissime, me, cui familiaritate Tua per tempus  
cum voluptate frui licuit, animi affectum confinere non posse, cum Te  
paratum videam dissertationem Tuam gradualem publicas luci expone-  
re. Faxit Summum Numen, ut hic Tuis labor Tibi ex voto cedat,  
& ut in Patriam redux præmia virtutum Tuarum capias uberrima!  
Ad me autem quod attinet, ut favori & amicitiae Tuae etiam in poste-  
rum commendatum habeas, qua pars est observantia rogo. Ad urnam  
usque futurus

TUUS EX ASSE

D. STOCKE.

---

## CLARISSIMO DOMINO CANDIDATO,

AMICO INTEGERRIMO.

Indicium quoddam amoris publicum, ut Tibi, Amice suavissime, ex-  
hibeam, quæ mihi Tecum per aliquod tempus intercessit familiaritas,  
integerrima illa, deposita. Cum jam dissertatio, pro gradu conscri-  
pta, lucem propediem visura sit, non possum quin intimum animi mei  
affectum Tibi declarerem. Nexus Philologiae cum Philosophia elegan-  
ter discussi reddit rationes, eximiens eruditatem, ingenium & dili-  
gentiam prodentes. Te eas ab insultibus aduersiorum summo ap-  
plausu defensurum, persuasissimum mihi est. Atque haec sunt, quæ  
Te Palladis laurea, studiorum Tuorum præmio, dignissimum faciunt.  
Felicem me praedico, si mihi, quamvis absenti, amicitiae documenta  
exhibere non intermiseris. Ceterum quævis Tibi prospera adpre-  
catur

TUUS EX ANIMO

JOH. CHRISTOPH. OSTERMAN.

## Till Herr Candidaten.

Då qwicka snullen flit ey spara;  
Då alstras fäkert witra män;  
Då ökes wist de Lårdas skara  
Och, hwad knapt någon nekat än,  
Då har man icke nödigt frugta,  
At fördoms band sku lanning tugta.

At vara lård och dygder hyfa,  
Det áro twå olika ting.  
En lård kan i Cathedren lysa,  
At strålar spridas wida kring;  
Men lika fult i laster slafwa.  
En olård kan ock dygder hafwa.

Man bör ju fåtta mera värde  
På dygd, än lårdom, hvor för sig.  
Man bör ju skatta högt den lärde;  
En dydig högre, tyckes mig.  
Men ånnu mer den dygder hyser,  
Och hwars förstånd af quickhet lyser.

Hos Er sig dygd och lårdom parat,  
Herr *Candidat*, i ymnigt mått.  
At öfswa dygd i aldrig sparat.  
I bokwett han I wida gått.  
Förfynten lär Er wist belöna,  
At I sän skörd af begge röna.

M. FÆGERMARK.




Greiwald, 355, 1762-63

ULB Halle  
005 372 011

3







9 1767, 3 14  
DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> ACADEMICA  
DE  
NEXU  
PHILOLOGIAE  
CUM  
PHILOSOPHIA  
QVAM  
ADNUENTE AMPLISS. PHILOS. ORDINE  
IN REGIA ACADEMIA GRYPHICA

SUB PRÆSIDIO  
VIRI AMPLISSIMI ATQVE CELEBERRIMI  
**DNI. MAG. PETRI AHLWARDT**

LOG. ET METAPH. PROF. REG. ORD. ACAD. SCIENT. MOGUNT. MEMBRO  
ET FACULT. PHILOS. H. T. DECANO.

AD  
GRADUM MAGISTERII OBTINENDUM  
IN AUDITORIO MAJORI

D. XII. MAJI A. R. S. MDCCCLXVII.

PUBLICE VENTILANDAM EXHIBET  
**JOH. ADAMUS TINGSTADIUS**

SUDERMANNIA SVECUS.

H. A. M. S.

GRYPHISWALDIÆ TYPIS A. F. RÖSE.

